DIEM XXVIII M. IANUAR. MDCCCXXV

NATALEM

FRIDERICI VI

AUGUSTISSIMI ET CLEMENTISSIMI REGIS

OPTIMI PRINCIPIS

ALBUM ET LAETABILEM

SOLENNI ORATIONE

IN AUDITORIO MAIORE

HORA XII

HABENDA

PUBLICE CELEBRANDUM

MANDATO RECTORIS ET SENATUS

ACADEMIAE KILIENSIS

OBSERVANTISSIME INDICIT

W. WACHSMUTH

D. PH. PROF. ELOQUENT. P. O.

Inest de tribuum quatuor Atticarum triplici partitione disputatio.

KILIAE

TYPIS CHRIST. FRID. MOHR.

25

Antiquissimam reipublicae Atheniensium descriptionem post leges a Solone et Clisthene latas obscuratam et fere oblitteratam, neque nisi nomine et umbra posteris notam, re autem cognitu difficilem, aetatis nostrae viri eruditi in memoriam reduxerunt, atque rerum civilium ordinandarum specimen hoc, ut per se cognitione dignissimum, ita uberrimum esse ad antiquitatis indolem in genere aestimandam docuerunt, nobilique ardore certatim illustrando ipsi operam navarunt. Verumtamen omni ex parte patefactam esse hanc rem, actumque agere quemvis in ea exquirenda sese collocantem, qui plurimum hisce in litteris profecerint, ii liquidissime negabunt. Quae quum ita se habeant equidem de antiquarum quatuor tribuum (*Φυλῶν*) triplici partitione disserere constitui; quaestionis tamen multum agitatae de illarum originibus, dignitate et nominibus universa et singula momenta simul ponderare ita supersedeo, ut uno verbo, quantum ad definiendam rationem, quae inter istam quaestionem meamque intercedat, pertinere videtur, significem. Id enim mihi persuasum est, eorum, qui ordinum sive Aegyptiorum sive Indicorum instar comparatas fuisse Atticas tribus censuerint, sententiae vix quicquam posse proferri magis contrarium ad eamque refellendam accommodatius partitionis ad singulas tribus pariter pertinentis et aequabili fere jure definientis eas accurata descriptione, atque, modo recte aliquis hac opera defunctus fuerit, fore, ut ad tribuum ipsarum statum vere aestimandum aliquid videatur attulisse.

Igitur antiquas quatuor tribus Atticas trifariam dispertitas, singulasque ternis classibus descriptas harumque partes *Φρατρίας*, *τριττύας*, *ἔθνη* appellatas fuisse memoriae traditum est [1]). Quae si quis opinione praejudicata haud

---

1) Jul. Polluc. onomast. VIII, 109–11. III, 52. Harpocrat. v. *γεννῆται*. Phot. et Etym. M. v. *τριττύς*. Moer. v. *γεννῆται*. Suid. vv. *Φράτορες*, *Φατρία*, *γεννῆται*. Schol. ad Platon. remp. p. 409 ed. Tauchn.

occupatus secum reputat, fieri non potest quin, quae partitio triplex fuisse dicitur, eâ, nisi vana sit aestimanda atque inanis, partes exstitisse non solo nomine sed re diversas judicet, illasque partium singularum appellationes eas habeat, quae non ad solam nominum variam speciem, sed ad ipsius rei discrimen pertineant. Jam ejusmodi partitionem istam fuisse propositum mihi est partium singularum indole investiganda et repraesentanda probare; at vero grammaticorum veterum nonnulli contrarium suadere videntur: quare, ne incautus ab his viam persequi videar meam, faciendum est, ut eorum auctoritati quantum sit tribuendum primum exponatur. Suidas nescio quo auctore haec tradidit v. *Φράτορες· — Φασὶ δὲ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι τριττὺν, ἤτοι τὴν Φρατρίαν*, quae verba si minus sunt corrupta, at sententia est inepta; v. *γεννῆται — αἱ δὲ Φρατρίαι ἐκαλοῦντο τριττύες, ὅτι τεσσάρων Φυλῶν οὐσῶν εἰς τρία ἑκάστην διεῖλον μέρη*, quibus significatur, *τριττὺν* nonnisi cognomen esse *Φρατρίας*; idem fere vult v. *Φατρία· ἡ Φυλὴ διῄρηται εἰς δ'. — ἑκάστη δὲ διαίρεσις εἰς γ', ὡς γίνεσθαι ιβ' — καλεῖσθαι δὲ τριττύας καὶ Φατρίας*, atque, quantum quidem foeda in corruptione cognosci potest, Stephanus Byzantinus v. *Φατρία· ἐξ ἧς οἱ Φράτορες λέγονται οἱ ἐκ τῆς Φατρίας τῆς αὐτῆς ὄντες ὅ ἐστι τρίτης Φυλῆς* (scr. *τρίτον μέρος τῆς Φυλῆς*) *ἥντινες τριττὺν* (scr. *τριττὺν*) *λέγουσιν.* Itane *Φατρίας* plane easdem fuisse ac *τριττύας*, et hanc vocem tantummodo ad illarum numerum pertinere significandum ignotis testibus istis, qui in vocabulis *Φασὶ, τινὲς* latitant, credamus? Ne cupidius sententiam feramus, nunc id tantum monemus, quum tertiam partem, *ἔθνη* vocatam, silentio praetermiserint, ad rei summam conficiendam ejusmodi testimonia haud valere. Neque magis Moeris, qui v. *γεννηταί* haec tradidit: *αἱ δὲ Φυλαὶ ἑκάστη εἰς τριττύας* (*διῄρηντο*), *εἰς δὲ ἑκάστην τριττὺν εἰσήχθη γένη λ'*, triplicemque igitur partitionem simplicem unoque nomine descriptam perhibet, peculiare autem *Φατρίας* nomen oblitteravit.

Jam trium simul partium mentio fit apud Harpocrationem ejusque pedissequum Suidam v. *γεννῆται — ἑκάστη δὲ Φυλὴ τριχῆ διῄρητο, καὶ ἐκαλεῖτο ἕκαστον μέρος τούτων* (scr. *τοιοῦτον?*) *τριττὺς καὶ ἔθνος καὶ Φατρία*, atque iisdem fere verbis ap. Polluc. VIII, 111 — *ὅτε μέντοι τέσσαρες ἦσαν αἱ Φυλαὶ εἰς τρία μέρη ἑκάστη διείρητο, καὶ τὸ μέρος τοῦτο* (*τριττὺς*) *ἐκαλεῖτο τριττὺς καὶ ἔθνος καὶ Φατρία*. Utroque in loco usus numeri singularis speciem rei falsam induxit, et ita

factum est, ut tribuum simplices duodecim partes numerarent isti homines, atque, quum solam numeri rationem sequerentur, neque ad cujusque classis peculiarem attenderent compositionem singularumque diversas partes, tribus simul unamquamque nominibus appellatam esse putarent. Pariter solum numerum respexerunt missam rei naturam facientes Harpocration v. *φράτορες — φρατρία ἐστὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς*, et qui etymologicum, quod Gudianum appellamus, composuit v. *ἀφρήτωρ — φρατρία δὲ κυρίως τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς.*

Inter quae nescitiae temerariaeque scriptionis specimina fontem veritatis limpidum, unde isti turbidi fluxerint rivuli, indagandi, si fieri potest, ut necessaria censeatur cura, ita via monstratur. Si quidem ex Aristotelis reipublicae Atheniensium descriptione ipsa fragmenta inter grammaticorum, qui uberrimas istas copias expilaverunt, commenta servata esse, simul quid distent aera lupinis, Photii potissimum probatur indicio. In lexico enim ejus nomine inscripto haec leguntur v. *τριττύς· τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς τρία μέρη, τριττῦς καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὡς Ἀριστοτέλης φησίν*, quae Aristotelis nomine haud addito etiam in etymologico magno exstant. Quibus locis ternas tribuum classes, *τριττῦς* unam, alteram *φρατρίας*, tertiam *ἔθνη*, fuisse neque tria simul nomina ad quamlibet earum accommodari posse probabile fit. Quod si addideris scholion ad Platonis remp. p. 409 ed. Tauchn. *Ἀθήνῃσι δέκα μὲν ἦσαν φυλαί· διῄρουντο δ' ἑκάστη τούτων εἰς τρία, εἰς τριττύας, εἰς ἔθνη καὶ φρατρίας*, neque eo turbatus fueris, quod partitio ad Clisthenis decem tribus perperam translata sit, classium ipsarum ultra quam nomine tenus discrimen faciendum esse praepositione *εἰς* repetita persuasum habebis. Denique ejusdem Photii lexici egregio loco, qui *τριττύας* plane aliis, ac reliquas classes, partibus constitisse testatur, siquid reliquum est dubitationis, nisi fallor, omnino tollitur.

Quippe quum grammaticorum nonnulli falsa opinione, tribuum classes re easdem, neque nisi nominibus variis distinctas fuisse, ducti, tricenas gentes, quas singulae phratriae complexae esse recte dicuntur, ad reliqua quoque partitionis genera, *τριττύας, ἔθνη*, inepto studio accommodandi periculum fecerint, quominus falsa pro veris venditantes imponant nobis, vetat Aristotelis fragmentum a Photio servatum v. *ναυκραρία — ἐκ τῆς Ἀριστο-*

τέλους πολιτείας — ἐκ δὲ τῆς Φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ' ἑκάστην. Unde facili negotio vanam fuisse Pollucis operam colligitur, qui III, 52 recte quidem haec tradidit: Φρατρίαι δ' ἦσαν δυοκαίδεκα, καὶ ἐν ἑκάστῃ γένη τριάκοντα, ἕκαστον ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν; (cf. Harpocr. v. γεννῆται — πάλιν δὲ τῶν Φρατριῶν ἑκάστη διῄρητο εἰς γένη τριάκοντα) verum quae gentes ad phratrias solas pertinuerunt, easdem ad alterum partitionis genus perperam transtulit VIII, 111: — ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα, ἃ ἐκαλεῖτο τριακάδες κ. τ. λ. Neque minus ipsi in animo fuisse eas ad trittyes quoque applicare persuasum habeo, atque quae leguntur VIII, 109: τριττύος δ' ἑκάστης γένη τρία tantum abest ut cum Kühnio ab alio inculcata existimem, ut cum Valesio τρία in τριάκοντα mutare, atque sic perversam Pollucis rationem, quam Moeridis quoque fuisse e loco supra laudato emergit, clara in luce collocare satius ducam.

Quae quum ita sint comparata, partitionis tribuum triplicem istam rationem equidem non ad sola generum sive classium varia nomina pertinuisse censeo, imo rei, consilii atque aetatis interfuisse discrimen contendo. Siquidem, quod ad consilium atque aetatem attinet, ἔθνη quae vocantur ejusmodi partitionem fuisse aestimo, quae ad civilis societatis infantiam, consilio plerumque expertem, naturali tamen rerum humanarum conditione ordinibus superioribus loco et inferioribus distinctam, releganda esse videtur; antiquissima eadem habenda sunt religiosa vincula, cujusmodi phratriis nexa esse constat; propter phratiarum vero et gentium unicuique tributarum numerum definitum hanc institutionem consilio civili deberi perspicuum est, atque, quod ad civitatis in unum junctae et copulatae summam refertur, ideo, si recte conjicio, aetati, quae Thesei nomine significatur, qua quidem singulorum Atticae pagorum habitatores primum ad commune gentis prytaneum convenisse dicuntur [1]), adsignanda est; non minus denique consilio atque legis praecepto ordinatas esse arbitror trittyes, quippe facultatum reipublicae et copiarum efficiendarum causa institutas; simul autem hanc novissimam neque nisi reipublicae florescentis viriumque junctarum pericu-

---

1) Thucyd. 2, 15. Diodor. Sic. 4, 61. Plutarch. Sol. 28. Strabo 9, 397.

lum facientis, atque artis ope civilis indigentis ad civium singulorum munera et collationes definiendas, propriam censeo.

Jam de triplicis tribuum partitionis primo genere, quod appellatione ἔθνη significatur, singulatim agamus. De eo Pollux haec tradidit VIII, 111: τρία δὲ ἦν τὰ ἔθνη πάλαι, Εὐπατρίδαι, γεωμόροι, δημιουργοί neque vocabulo ἔθνος in hac re non sunt usi auctores lexici rhetorici in Bekker. anecd. p. 257, atque etymologici magni v. Εὐπατρίδαι — ἐπιγεώμοροι δὲ τὸ τεχνικὸν ἔθνος, et Hesychius v. δημιουργοί — ἐπὶ μὲν τῶν ἀνδρῶν (scr. Ἀθηναίων) τὸ ἔθνος ἐκλήθη. Quodsi solemnem vocabuli vim, qua populus sive gens significatur, ad tria ista hominum genera valere, simulque appellationibus γεωμόροι, δημιουργοί vitae genus, operam et negotium denotatum ad vulgus ita pertinuisse ponamus, idem ut stirpem ignobilem eique illud munus et onus peculiare tanquam indolem popularem infixam et adnexam habeamus, atque conjiciamus, diversae originis populos in Atticam antiquitus confluxisse, ab eoque, qui viribus et consilio praestiterit, reliquos in servitutem depressos esse, et opera per manus tradita ab illo, laboris hujus fructus percipiente, discretos, sanequam speciosa haec est ordinum Aegyptiorum Indicorumve similitudo. Quae tamen quando veterum scriptorum aliqua auctoritate confirmari perhibentur, iis quidem, quae Plato in Timaeo p. 24 A, et Critia p. 110 C, tradidit, quam parum fidei habendum sit, non est quod exponam; Diodorus vero (1, c. 28.) Attica ad Aegyptiaca referens, nimirum haec ex arrogantibus sacerdotum Aegytiorum narrationibus fluxisse prodit. Verum enim vero ut obtinuerit re is antiquissimae civitatis Atticae status, qui diverso munerum negotiorumque vitae genere maxime descriptus incolas distineret, solam tamen ejus speciem, neque vero popularem indolem diversa stirpe et genere varie distinctam, aut origines demum populorum vocabulo ἔθνος declarari ex antiquissimo ejus usu colligitur. Cujusnam vero quam Homeri ad hoc probandum fidem majorem habeamus, qui non solum nativas cogitationum formas, quae principio vocabulis inerant, plerumque expresserit, sed etiam ejus dicendi ratio propter generis Jonici communionem ad vetustissima reipublicae Atheniensium instituta aestimanda egregie sit accommodata [1]). Si

---

1) Buttmann üb. d. Begr. d. W. Φρατρία in Abh. d. Berl. Akad. d. W. 1818–19, hist. phil. Cl. p. 36.

quidem, quod ipsa vocabuli ostendit conformatio [1]), non tam stirpis, generis atque gentis communionem, quam multitudinis morum et consuetudinum aequabilitate copulatae rationem ipso declarari, id exemplorum affluenti copia, quam e carminibus Homericis petendi facultas data est, probatur. Nam quorsum nisi ad *commilitonum* catervas pertinent *ἔθνος ἑταίρων* Il. 3, 32. 7, 115. 11, 585. 595; *ἔθνεα πεζῶν* 11, 724, et vocabulo gemino adjecto *λαῶν ἔθνος* 13, 495? Eodem spectant (Graecorum) *ἔθνεα πολλὰ* Il. 2, 91; neque hac ratione aliena sunt exempla *Λυκίων μέγα ἔθνος* 17, 552; *Ἀχαιῶν ἔθνος*. Itaque non cives, communi progenie et legum vitaeque domesticae vinculo nexos, sed milites ad expeditionem congregatos, (pariter atque *ὀρνίθων ἔθνεα* Il. 2, 459, *μυιάων ἔθνεα* 2, 469), et familiaritate castrensi junctos vox appellat. In quo quum antiquitatis indolem ignorare recte dicatur, qui hac vitae militaris specie commune gentis populare negari tollique contendat, tum apud posteriorum aetatum scriptores solius operae, negotii et artis communionem voce ista, ceterum ad ampliorem gentis seu populi significationem plerumque translata, frequenter designari satis constat. Cujusmodi exempla sunt: apud Xenoph. symp. 3, 6 *τί ἔθνος ἠλιθιώτερον ἢ ῥαψῳδῶν*; ap. Platon. de rep. 1, 351 C: *ἢ λῃστὰς, ἢ κλέπτας, ἢ ἄλλο τι ἔθνος ὅσα κοινῇ ἐπί τι ἔρχεται ἀδίκως*; cf. in Critia 110, C; ap. Demosth. adv. Aristocrat. 668 ed. Reisk.: *εἴτις ὑμᾶς ἔροιτο τί πονηρότατον νομίζετε τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων ἐθνῶν, ὕτε τὺς γεωργῦντας, ὕτε τὺς ἐμπόρυς, ὕτε τὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων ὕτε τῶν τοιύτων ὐδὲν ἂν εἴποιτε, ἀλλὰ τὺς ἐπὶ μισθῷ λέγειν καὶ γράφειν εἰωθότας*. Quibus exemplis addere plura eo facilius supersedere possum, quod vocabulum *γένος* ejusdem cogitationis speciem refert, v. g. in Platon. Tim. 24, A; Aristot. Polit. 5, 8, 5. 6. 6, 2, 7. et rel.; unde Hesych. v. *ἀγροιῶται — ἀγροῖκοι γένος Ἀθήνῃσιν, οἳ ἀντιδιεςέλλοντο πρὸς τὺς Εὐπατρίδας*. Denique adde Ciceron. de nat. deor. 2, 29. pro Sext. 44. in Pison. 23. de harusp. resp. 26, quibus locis *natio* Epicureorum, optimatium, candidatorum, deteriorum, ad idem redit.

Quae quum ita sint, Aegyptiorum ordines, peculiari vitae genere insignes, *ἔθνη* vocari poterant, et illi quidem, etiamsi ad diversorum populorum non attendebatur rationem, justo nomine: rursus ad veterem Atticae

---

1) Etymol. Gud. 161, 16 *ἔθος — ἐξ ὖ καὶ ἔθνος· ἑκάστῳ γὰρ ἔθνει ἴδιον ἔθος ἕπεται.*

incolarum civilem statum haec vereor ne sectandi Aegyptiaca studio a rerum civilium scriptoribus extrinsecus atque secundum aliquam similitudinis speciem sint accommodata, istius autem propriae et domesticae plane aliae atque Aegyptiorum ordinum fuerint causae. Si quidem quot antiquitus hominum genera in republica Atheniensium fuisse dicuntur, ad ea quidem satis commode vitae generum divisionem quandam applicari potuisse per se patet: attamen in ea, quae obtinuisse fertur, neque populorum diversorum status, neque instituti ex Aegypto petiti vestigia deprehendi, imo certam ac definitam ordinum descriptionem vix praedicari posse, tertii maxime generis, eorum qui *δημιεργοί* appellabantur, justa aestimatione perspicitur. Iterum ad Homerica carmina nos applicamus, in quibus ista appellatio ita pertinet ad praecones, Od. 19, 135 — *κηρύκων, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν*, ad vates, medicos, fabros lignarios et cantores, Od. 17, 383 sqq.:

— *οἳ δημιοεργοὶ ἔασι*
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν, ἢ τέκτονα δούρων
ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν —

nusquam ut hominum genus vile et abjectum, neque magis populi ordinisque civium instar junctum, ea notetur, sed homines quidam opera et arte excellentes, sive mediis e civibus, sive, quod, teste Homero Odyss. 17, 386: *οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*, maxime proprium artis peritorum fuisse videtur, peregrinando hic illic versantes, publiceque, ubi ipsorum ministerio opus erat, vocati. Jam ejusmodi homines glebae adscriptos vocari non posse neminem fugit; quae vero antiquitatis erat peculiaris consuetudo, ut artis peritia a patre filiis tanquam de manu in manum traderetur, et illa quidem singulis familiis apud Graecos tribuenda est, ut medicae artis opera Asclepiadis, ad ejusmodi propagationem non tam vocabulum *ἔθνος*, quam solemnem istam, apud recentiores potissimum usitatam Graecos scriptores, dicendi rationem *παῖδες ζωγράφων, ἰατρῶν, φιλοσόφων*, quasi suo jure pertinere quispiam dixerit.

Jam ut, quorsum haec disputaverim, id ipsum in medio ponam, demiurgos antiquissimae Atheniensium reipublicae mihi videor recte conferre cum inquilinis, qui post *μέτοικοι* appellati sunt, neque quicquam inter civium ordines loci jurisve iis tribuere, sed tribubus accensorum instar adnectere.

Cui sententiae, quam permultis audaciorem quam veriorem visum iri non dubito, ponderis aliquid eo additur, quod demiurgi altero nomine, ἐπιγεώμοροι, cujus supra p. 5. mentio injecta est, appendicis instar plebi aggregari videntur, neque a Dionysio Halicarnassensi, qui in archaeol. 2, 8. duo tantum civium genera recenset, silentio non praetermittuntur. Quam Moeridis quoque re vera fuisse mentem, singulari tamen errore aliorsum deflexam, ut *eupatridas* omiserit v. γεννηταί — ἡ πόλις τῶν Ἀθηνῶν τὸ παλαιὸν διεκεκόσμητο διχῶς, εἴς τε τοὺς γεωργοὺς καὶ τοὺς δημιουργούς — οὗτοι δὲ πάλιν διῄρηντο εἰς φυλὰς δ' κ. τ. λ., num recte censeam, viderint acutiores.

Itaque, si modo recte processit adhuc disputatio mea, civium summa duobus ordinibus, nobilibus et plebe, eupatridis et geomoris, continebatur. Jam vero quam solam vocabuli ἔθνος significationem, scilicet hominum generis, quorum vita opera et arte peculiari descripta sit, in demiurgos quadrare probavimus, ea eupatridarum appellatione videtur esse aliena, quippe quae tantummodo sanguinis praestantiam declaret. Neque mirum, dicat aliquis, titulum rebus Atticis secundum aliquam similitudinis cum Aegyptiacis speciem accommodatum haud penitus sibi constare; quamquam, ut eupatridarum nomen reliquis congruat, efficiendi non deest via. Si quidem ea fuit antiquae nobilitatis Graecae ratio, ut triplici dignitatis et auctoritatis niteretur fundamento, agrorum possessionibus, sacerdotiis et armorum equestri splendore; quorum honoris instrumentorum quum fuerit nullum antiqua nobilitate Attica alienum, tamen communem qualiscunque nobilitatis notam, generis sanguinisque illustris decus apud eam praevaluisse, id nulli magis causae deberi videtur, quam quod variis partibus composita erat. Etenim, quamvis ordinum descriptionem quandam, superiorum loco et inferiorum, quatuor tribubus significari ut credam animum inducere nequeo, mihi persuasum est nominibus Γελέοντες sive Τελέοντες, Ὅπλητες, Αἰγικόρεις, Αργάδεις [1]) diversa hominum genera appellari, quippe eorum, qui per Atticam, *nondum uno prytaneo junctam*, disparibus inter se moribus, unde

---

1) V. Herod. 5, 66. Euripid. Jon. 1566 sqq. Plutarch. Sol. 23. Strabo 8, 388. Pollux 8, 109. Stephan. Byzant. v. Αἰγικόρεως (scr. Αἰγικόρεις).

vel popularis discriminis appareant vestigia nonnulla, habitaverant. Qui quales singuli fuerint quum negaverim me hisce paginis cura singulari expositurum esse, tamen usque eo disputationis istius aleam adire haud recuso, ut in hac sententia pericliter. Ἀργάδεις et Αἰγικόρεις qui vocantur, eorum Atticam germanam patriam duxerim; et quidem illi, Argivorum instar, quos olim Ἀγειάδας vocatos esse Stephanus Byzantinus v. Ἄργος commemorat, nomen traxisse videntur a planitie, ἄργος [1]), quam vocem pariter ad nomen Pelasgorum (πελαργῶν), atque campos et arva ad eorum vitam pertinuisse nullus dubito; Aegikoreis vero a vitae habitu pastorali, quae montanis hominibus convenit. Quodsi locis ita divisis universa Attica duabus partibus expletur, neque quicquam fere superesse videtur regionis, ubi collocentur reliquae tribus, istam nimirum posterioris aetatis partitionem triplicem, qua παραλία, australis Attica, pro tertia parte habebatur [2]), ad antiquissima tempora referri alienum puto; Jones autem adventitios, quibus, nisi cum viris doctissimis fallor, tertia tribus, Ὅπλητες, constabat, tum in tetrapoli, quae vocabatur, tum maxime in ipsa Athenarum urbe sedes posuisse, pro certo dici licet; simul Athenas, quae post caput regni exstiterunt, principio Jonum modo sedem fuisse, et quae feruntur de antiquioribus earum rebus fabulae, eas Jones solos spectare recte conjicias. E duabus demum quartae tribus appellationibus, Γελέοντες sive Τελέοντες, ut ne dicam de tertia, Γεδέοντες, apud Plutarchum, v. Sol. c. 23. proposita interpretandique periculum sapiente, posteriorem ita amplexor, ut a mysteriorum initiis, τέλος, τελεῖν, τελετή, eam ductam esse atque Eleusinios proprie spectare, censeam; quae vocabuli interpretatio ut ex aliqua parte ad idem redit atque alterius formae Γελέοντες [3]), ita ad turbas in litteris Τ et Γ scribendis exortas apposita videtur esse explicandas. Jam vero, qualiscunque demum inter haec hominum

1) Strabo 8, 371. Stephan. Byz. v. Ἄργος — Ἄργος δὲ σχεδὸν πᾶν πεδίον κατὰ θάλασσαν.

2) Herod. 1, 59. Thucyd. 2, 55.

3) V. Wessel. ad Herod. 5, 66: Γελέοντες — haud alii ac εὐπατρίδαι (?), sive λαμπροι, illustres, splendidique. Cf. Creuzeri Symbol. 3, 53. not.

genera, quamdiu ejusdem regionis tantummodo incolae, neque vero cives unius rei publicae erant, commercii, locorum statusque intercessit ratio: postea saltem quam gentis et civitatis commune effectum esset, quatuor tribus aequo jure descriptas esse, ex aequabili earum in phratrias et trittyes partitione confirmatum iri confido. Quo facto cujuscunque generis nobilitatem, sacerdotes et milites, simul autem, quo nomine inter Argadeis quoque et Aegikoreis nobiles exstitisse rei natura suadet, agrorum possessores et gregum pascuorumque magnorum dominos in unum ordinem coaluisse consentaneum est, quem quia singulari nomine propter variam personarum indolem haud commodum erat appellari, communi generosae stirpis nota significatus est, atque sic, opinor, eupatridarum nomen invaluit.

Rursus per unamquamque veterum quatuor tribuum plebem, variis rerum humanarnm casibus et personarum dotibus nobilitate, quae ex ea caput extulerat, inferiorem, habitasse, atque si *ἔθνος* vocatur, ordinem, non populum significari, argumentatione haud indiget, neque distat a re et veritate, ejusmodi homines, propterea quod plerumque agros nobilium colerent, communi nomine *geomoros* appellatos esse. Quanquam vocabula habere sua fata pariter ac libellos in eo animadvertitur, quod eadem vox (*γάμοροι*) apud Dores fundorum possessores declaravit [1]), vel in ipsa insula Samo idem dicendi usus obtinuit [2]).

Postremo quos ordines civitatis duos, nobilitatem et plebem, fuisse, iisque peregrinorum nomine demiurgos adjungendos esse, censemus, ad eorum alterius honorem et munera definienda pertinent quae Plutarchus in vita Thesei c. 25 tradidit: *γινώσκειν τὰ θεῖα καὶ παρέχειν ἄρχοντας καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς·* cf. lexic. rhetor. in Bekkeri anekd. p. 257 atque Etym. M. v. *Εὐπατρίδαι· ἐκαλοῦντο οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες, καὶ μετέχοντες βασιλικοῦ γένους, τὴν τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ποιούμενοι*; geomoros vero, rusticam plebem, quos Etym. M. *τῆς ἄλλης χώρας οἰκήτορας* appellat, nobilium agros ea conditione coluisse, ut sextam frugum partem possessoribus

1) V. Valcken. ad Herod. 5, 67. 6, 22. Ruhnk. ad Tim. p. 67.

2) Thucyd, 8, 21; Plutarch. quaest. Gr. 7, 211 ed. Reisk.

praeberent, (nisi cui forte verior videatur sententia, quam Eustathium ad Odyss. 19, 28 sequens amplexatur Schoemannus de comit. p. 362 n. 38, ut sexta parte ipsis relicta, quinque exhiberent,) ob eamque rem ἑκτημόρους s. ἑκτημορίους s. ἐπιμόρτους vocatos esse, docent Plutarch. in vita Sol. c. 13, Poll. 4, 168; Hesych. v. ἑκτημ. et ἐπίμορτ. cum Hemsterhusii disputatione de hac voce; schol. ad Platon. Euthyphr. c. nota Ruhnkenii recusa in Bekkeri comment. in Platon. 2, 327. Qui quum magis alienae quam suae rei curandae operam darent, iidem recte θῆτες appellabantur, quo vocabulo apud Homerum, Od. 4, 644, opera mercenaria notata est, Solon vero infimam plebem, haud quidem contumeliae causa, nominavit.

Reliqua quidnam intercesserit discriminis inter hanc tribuum in ordines, quorum alteri alter iniquo jure subditus erat, partitionem, et phratiarum trittyumque aequabili jure constitutarum descriptionem, non est quod ante ipsam de his disputationem praepostera cura exponamus. Neque magis argumentatione opus est, ut Pollucis gentium definitum numerum istis ordinibus tribuentis inepta ratio, cujus supra mentio facta est, refellatur. Sanequam gentibus continebatur nobilitas, ut ne dicam de plebe; neque tamen ad normam numeri definiti compositis, sed ipsa natura, solaque stirpis communione effectis; quanquam hujusmodi gentes naturales, atque gentes phratriarum nexu et numero constitutas, titulo civili quidem distinguendas, re plerumque easdem fuisse ex iis, quae sequuntur, patebit. Eodem rejicio quaestionem, num nobilium gentes numero quodam et ordine constituto ad rempublicam gerendam accesserint, senatusque partes vicissim egerint.

Jam sicut generis naturalis ratio eupatridas nobilitate a plebe sejunxit, ita ad commune civium vinculum *phratrias* atque earum *gentes* spectasse quam maxime probabile est. Φρατρία (Φρήτρη, Φατρία), si Dicaearchum sequimur, in familiae amplificatione gradibusque propagationis et sobolis ejusmodi societas appellabatur, quae exorta erat connubiis et affinitatibus singularum gentium, quas Dicaearchus πάτρας, γένη vocat; v. fragmentum pretiosissimum apud Stephanum Byzantinum v. πάτρα atque Buttmanni commentationem supra laudatam. Aliter comparatae fuerunt phratriae Atheniensium jure publico constitutae, singularum tribuum ternae, quarum unamquamque tricenis gentibus, gentes (γένη) vero singulas tricenis gentilibus

constitisse tradit Pollux 3, 52, quo cum loco conferas Harpocr., Etymol. M. et Suidam v. γεννῆται. Gentiles, γεννῆται, eodem cognomine ὁμογάλακτες, ἀγάλακτες, de quibus v. Philochor. ap. Harpocrat. v. γεννῆται, Suid. vv. ὁμογάλακτ. et ἀγάλακτ., et Polluc. 3, 52, tanquam sanguine juncti perhibebantur. Attamen arbitrium et consilium numeri delinitione conspicuum artem civilem propinquorum necessitudinibus aliquid addidisse aperit, atque grammatici, phratriarum et gentium formae civili non eam fuisse notam peculiarem, ut consanguinitate deliniretur, sed gentium certum numerum ad sacrorum communionem junctum fuisse, disertim testantur: Harpocrat. v. γεννῆται — ἐχ οἱ συγγενεῖς μέντοι ἁπλῶς καὶ οἱ ἐξ αἵματος γεννῆται — ἀλλ' οἱ ἐξ ἀρχῆς εἰς τὰ καλέμενα γένη κατανεμηθέντες; Pollux 3, 52: καὶ οἱ μετέχοντες τῦ γένυς γεννῆται καὶ ὁμογάλακτες, γένει μὲν ἐ προςήκοντες, ἐκ δὲ τῆς συνόδε ἔτω προςαγορευόμενοι· Lex. rhet. in Bekkeri anekd. 223 et Etym. M.: γένος ἐςὶ σύςημα ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν συνεςώς, ἓ οἱ μετέχοντες ἐκαλῦντο γεννῆται, ἐ κατὰ γένος ἀλλήλοις προςήκοντες, ἐδ' ἀπὸ τῦ αὐτῦ αἵματος, ἀλλ' ὥσπερ οἱ δημόται καὶ Φράτορες ἐκαλῦντο νόμων κοινωνίαν τινὰ ἔχοντες, ἔτω καὶ οἱ γεννῆται συγγενικῶν ὀργίων ἢ θεῶν, ἀφ' ὧν ὀργεῶνες ὠνομάσθησαν. Cf. Hesych. v. γεννῆται atque schol. ad Platon. Critonem, Philebum et Timaeum pag. 7, 41, 202. ed. Ruhnk. Jam propter sacrorum communionem gentiles iidem ὀργεῶνες vocati esse feruntur, de qua re superioribus locis adde Polluc. 3, 52 et schol. in Demosth. p. 115 ed. R.; itaque etiam haec vox, necessariorum appellationis utriusque instar, quum plerumque conventus cujusque religiosi sodales, alio nomine θιασώτας appellatos, significet, ut ap. Harpocr., Phot., Suid. v. ὀργεῶνες, et in Bekk. anekd. 191. 286., ad angustiorem ambitum civilem, accuratius saltem circumscriptum, conclusa est.

Quae quum ita sint cognationis quidem in hisce sacrorum communitatis generibus, haud eminuit nota, minime tamen cognatio ipsa his aliena fuit; neque per eas aut turbata aut sejuncta: imo non solum gentilium et sodalium gens plerumque propinquorum quotquot commode fieri poterat complexa esse videtur, sed omne istud sacrorum communionis sodaliumque familiaritatis institutum ad sanguinis stirpiumque conjunctionem tuendam quam maxime pertinebat; simul quicquid inerat religiosi vim et efficacitatem ab illa mutuabatur, ut ab altera parte necessitudo privata ad publicam esse

amplificata, ab altera civitas familiae, ex qua exorta erat, ampliore in societate speciem referendi periculum facere videretur, utrumque vero vinculum, naturale et civile, mutuo nexu omnes civitatis partes amplecteretur. Jam si singula quaerimus, gravissima quaeque vitae domesticae momenta in latiorem familiaritatis civilis orbem proferebantur et medios inter sodales formam augustiorem sanctioremque fidem induebant. Quamobrem *Apaturia*, naturali exordio domestici propinquorum ad res familiares pio sensu agendas conventus, post, phratoribus et gentilibus quoque una congregatis [1]), solemne atque civile festum ut essent, recurrente anno quoque, mense Pyanepsione, per triduum instaurabantur; quorum primo quidem die, *δορπεία*. s. *δορπία*, epulae parabantur; altero, *ἀναῤῥύσει*, Jovi Phratrio et Minervae sacrificabatur, tertio vero, qui *κερεῶτις* appellabatur [2]), infantes annis proximis nati coram producebantur sacrificioque facto [3]) inter phratores atque gentiles recipiebantur. Neque pubescentium tirocinio non addebatur civile momentum sacrificio gentilitio, *κερίον*, *κερεῖον* vocato [4]), atque si qua virgo domo patria relicta maritum secuta erat, ut ejus genti adscriberetur, sacrificium nuptiale, *γαμήλια* [5]), opus erat. Quatenus vero, ut quam fieri posset simillime naturalem cognationem civilia ista vincula referrent, provisum fuerit, ex eo potissimum apparet, quod pium habebatur phratorum officium,

---

1) *ἐν οἷς οἵτε πατέρες* (scr. *Φράτορες*) *καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς.* Xen. Hell. 1, 7, 8. Nomen festi *'Απατέρια* ad exemplum voc. *ὁμογάλακτες*, *ἀγάλακτες*, et, quae a Suida v. *'Απατέρια* affertur, *ἄλοχος*, explicueris: vide tamen quae Creuzerus celeb. Symb. 3, 505 sqq. disputavit.

2) V. de tribus hisce diebus Suid. v. *'Απατέρια*, de Jove Phratrio Demosth. in Macart. 1054, 10 ed. R., de sacello curiali (*Φρατρίῳ*) Poll. 3, 52.

3) Pollux 3, 52. 53. Harpocr. *μεῖον*, *οἰνιστήρια.* Hesych. *οἰνιστήρ.* Cf. v. *μειαγωγέω* Aristoph. ran. 798 ibique schol.

4) Poll. 8, 107. Isaeus de Philoct. hered. 135.

5) Demosth. in Eubul. 1312. 1320. Isaeus de Pyrrh. her. 62. 65. 66. reliq., unde corrigenda sententia grammaticorum, Poll. 8, 107; Lex. rhet. in Bekk. an. 228, Etym. M. v. *γαμήλια.*

ut, si quis ex ipsorum phratria caesus esset, interfectorem jure persequerentur [1]).

Quae quum ita sint, quis est, quin ejusmodi instituto antiquissimae artis civilis egregiam indolem consiliumque nobilissimum manifestari fateatur? Id tamen clara in luce tum demum aspicietur, quum, nobilitate et plebe ad eadem sacra et festa congregandis, civium juris communem aliquem statum efficiendi consilium juste aestimatum fuerit. Si quidem phratriarum universarum numerabantur trecentae et sexaginta gentes, singularum gentium triceni gentiles, universarum decies mille et octingenti. Jam hunc calculum non partem civium aliquam, imo universorum summam spectasse e numeri amplitudine conjiciendi praebetur ansa; in quo, quod non civium accurata dinumeratio instituta, sed divisio rotunda magis quam vera sumpta sit, nemo mirabitur, qui ejusdem civium aliquem numerum definiendi propensionis, ad fundorum possessorumque potissimum exaequandam rationem pertinentis, memorabile exemplum a Lycurgo datum, ut ne dicam de Platonis, Aristotelisque consiliis eandem rem spectantibus, cum animo suo reputaverit [2]). Quod si discriminis inter gentiles numeratos et ἀτριακάστους, qui vocabantur [3]), rationem, atque normam quaeris hos quoque illorum juris participandi, haec ad solum familiae statum accommodanda esse videtur; quippe gentiles patrum familias speciem referunt, eorum igitur qui singuli Jovem ἑρκεῖον s. ἐφέστιον [4]), qui dicebatur, pro re familiari propria et peculiari colebant; quotquot autem in gentilium decies mille et octingentorum numerum nondum recepti erant, ubi focum et larem familiarem suum quisque condiderant, quae pro numeri gentilium amplitudine debebant esse frequentes mortes, continua successione in vacua eorum, qui decesserant, loca substituebantur, quod ut recte procederet curandi expeditior videtur fuisse via, quam

1) Demosth. in Macart. 1069, 2.

2) V. Boeckhium celeb. Staatsh. 1, 36.

3) Hesych. v. ἀτριάκαστοι· οἱ μὴ μετέχοντες τριακάδος. Jus privatum, quod hoc loco non curamus, haec spectant ap. Hesych. v. ἔξω τριακάδος· οἱ μὴ μεταλαμβάνοντες παῖδες ἢ ἀγχιστεῖς κλήρου, τελευτήσαντός τινος.

4) V. Platner's Beitr. zur Kenntn. des att. Rechts p. 29 qq.

qua cautum est, ut agrorum Laeedaemoniorum aequa servaretur distributio; ea tamen, de qua articulatim et distincte dicere non habeo. Id demum apparet, discrimen inter gentiles tricenos atque ἀτριακάςυς haud magni momenti fuisse.

Sic igitur universos Atheniensis reipublicae cives commune amplectebatur vinculum, quod ad Thesei nomen pertinere ubi sumimus, quonammodo factum sit, ut status popularis institutio in ore et sermone Atheniensium ad Theseum relata sit, aliqua ex parte explicatur. Attamen ne sic quidem de statu suo nobilitatem esse dejectam ut e temporis istius ingenio conjectura judicamus, ita Suidam testem producimus, qui v. γεννῆται, posteaquam Harpocrationem secutus est, haec e Philochoro descripta addit: καὶ γεννῆται οἱ ἐκ τȣ̃ αὐτȣ̃ καὶ πρώτȣ γένȣς τῶν τριάκοντα γενῶν· ȣ̃ς καὶ πρότερόν φησι Φιλόχορος ὁμογάλακτας καλεῖσθαι. Quae si recte habent, utramque gentilium appellationem principio ad nobiles peculiari jure et cum excellentia praestantiaque pertinuisse judicandum est, sicut Romani patricii sibi solis gentem esse praedicabant [1]). Unde quum sequatur, in quaque phratria tricenos fuisse gentiles e nobilitate, universos tercentum et sexaginta, non absurda est eorum sententia, qui ad dierum mensiumque anni vicissitudines hanc descriptionis normam spectasse censeant [2]); neque temere iidem conjicere videntur, re publica per vices menstruas a nobilitate cum rege gerenda, sacrificiisque certis pro ea faciendis, hanc descriptionem minime fuisse alienam. Verum quum haec negare mihi non est in animo, tum audacissimis de hac re venditatis conjecturis audaciores etiam addere non libet: de hisce igitur alii viderint.

Denique instituti vestigia, quae posteriore tempore deprehendi possunt, lustrare appositum videtur. Manserunt igitur vel post tribus a Clisthene mutatas phratorum et gentilium conventus, eorundemque in causis de jure

---

1) Liv. 10, 8 Decius plebejus Semper, inquit, ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere rel.

2) V. interpret. ad Harpocrat. v. γεννῆται; cf. Suid. v. Φατρία et γεννῆται; Hüllmann's Staatsr. des Alterth. p. 15 sqq. Buttmann l. l. p. 25.

civitatis [1]) et gentilitatis dijudicandis testium producendorum usus; atque fidei in praestanda invicem et testanda civitate firmandae causa post, a Solone, ut videtur, introductum est, ut commentarii, *Φρατορικὸν γραμματεῖον*, *κοινὸν γραμματεῖον* [2]) appellati, haberentur. Quarum vero gentium singularium nomina sunt tradita, v. c. Brytiadae ap. Demosth. in Neaer. 1365, 28, Eunidae ap. Harpocr. et Hesych., Cynnidae ap. Harp. et in Bekk. anekd. p. 273., earumque partim nobilitate erant insignes, ut Alcmaeonidae et Paeonidae, Eumolpidae, Ceryces, Eteobutadae, Croconidae, Coeronidae, eas adtingit, quod supra monuimus, scilicet, quamdiu gentium ordo civilis et numerus obtinuerit, eas communi norma comprehensas, illo autem sublato, non tanquam insituti civilis reliquias, sed naturali vi, qua exortae et propagatae erant, et plerumque nobilitatis sanguinem sociandi fastidio continuatas et priscis avis superstites fuisse. Recte igitur *συγγενεῖς* poterant vocari ut ap. Demosth. adv. Eub. 1305, 24; quanquam haec vox in aliis locis, ut ap. Xen. Hell. 1, 7, 8. et Isae. de Apollod. her. 160. 178. coll. Harpocr. v. *γεννῆται*, idem sonat, ac *γεννῆται*.

Reliquum est, ut de tribuum partitione in *trittyes*, quam secundum aetatis notam postremo loco collocavimus, agatur. Id paucis fiet. Rei summa redit a Aristotelis fragmentum supra laudatum, quod Photius servavit v. *ναυκραρία· ἐκ δὲ τῆς Φυλῆς ἑκάστης ἦσαν νενεμημέναι τριττύες μὲν τρεῖς, ναυκραρίαι δὲ δώδεκα καθ' ἑκάστην.* Cf. apud Polluc. 8, 108. *ναυκραρία — τέσσαρες κατὰ τριττὺν ἑκάστην.* Jam iterum est observandum, praeterquam diversa appellatione, naucrariarum numero discrimen, quod inter harum et trittyum rationem intercesserit, luculenter manifestari, Pollucisque et Moeridis gentium ordinem tricenarium ad trittyes transferentium argui errorem (cf. p. 4.). Enimvero originem pariter atque consilium eadem fuisse trittyum ac phratriarum simul negandum est. Siquidem illarum id consilium fuisse, ut civium

---

1) *Διαψήφισιν τῶν δημοτῶν*, quam Meierus de bon. damnator. et fiscal. debitor p. 77 sqq. doctissime exposuit, huc non pertinere haud dubium est.

2) Demosth. adv. Lenob. 1092 ult. ed. R., cf. adv. Böot. 995, 28. Harpocr. et Suid. v. *κοινὸν γραμμ.*

onera publica distribuerentur atque civitatis saluti in hisce et talibus prospiceretur, eo colligimus, quod vel post Clisthenem quinquaginta ab ipso institutarum naucrariarum curatores tributa definiebant et colligebant, teste Aristotele ap. Phot. l. l.: — τὰς δ' εἰςφορὰς τὰς κατὰ δήμους διεχειροτόνουν ἤτοι (οἱ ναύκραροι), καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα; cf. Hesych. v. ναύκραροι — τὰς εἰςφορὰς ἐξέλεγον, neque postrema Atheniensium reipublicae aetate non constantem fuisse usum, trittyes, quae vocantur, ad onera publica referre, discas ex Aeschine in Ctes. 425, et Demosth. de symmor. 184, 15; cf. Plato de rep. 5, 475 A. Cujusmodi instituto quum reipublicae provectiorem aetatem significari censuerimus, neque praeterea appellationem trittyum, quae solum numerum spectat, antiquioris quicquam indolis habere liqueat, tamen ante Solonis aetatem naucrarias institutas esse probatur Herodoti loco, l. 5, c. 71., quo earum prytanes Cylonis tumultu exorto reipublicae causam defendisse dicuntur. Rursus ad istam aetatem dubito an recte referantur, quae de naucrariarum publicis collationibus, ita definitis, ut a singulis naves singulae binique equites ministrarentur, Pollux 8, 108 tradidit. Equidem, pro eo, quod militiae Atheniensium navalis ad antiquiorem aetatem pertinentis fere nulla deprehenduntur vestigia, a Solone primum hujusmodi onerum descriptionem profectam, et a Clisthene [1]) instauratam esse existimaverim. In quo ne quis in aliam sententiam inclinet, speciosa appellationis naucrariarum ab eo, quod naves praebuerint, derivatione ductus, audiat Hemsterhusium ad Polluc. 10, 20, ubi ναύκληρος est aedium dominus, de radice ναίειν *habitare* monentem, addatque locum Hesych. v. ναύκληρος· ὁ τῆς συνοικίας προεστώς, et ipsius Pollucis, qui 8, 108 verbis ναῦν μίαν, ἀφ' ἧς ἴσως ὠνόμασται (ἡ ναυκραρία), alteram derivationem dubitanter modo proponit. Quare domiciliorum, vel συνοικιῶν, descriptionem ad facultates sumtusque civium publicos juste aestimandos spectantem intelligere satius duco.

---

1) Cf. Böckh. Staatsh. 1, 274. 75.

Haec quidem praefati sumus, ut quaenam publicae laetitiae adsit occasio rite indicatur: siquidem appropinquant

FRIDERICI VI.

REGIS AUGUSTISSIMI

SERENISSIMI ET CLEMENTISSIMI PRINCIPIS

natalitia, festique hujus negotii praeconio solenni fungimur. Id enim academia Christiana Albertina e more ita celebrandum suscipiet, ut votis precationibusque faustis *Regis Optimi* salutem per novum aetatis orbem pie prosequatur. Ad audiendam igitur festam orationem, quam hoc die XXVIII m. Januar. in auditorio majore habere eloquentiae professoris est, academiae *Excellentissimum Curatorem*, regios et urbicos magistratus amplissimos, academiae cives humanissimos, omnium denique ordinum cives, quotquot academiae huic favent, rectoris atque senatus mandato, qua par est observantia, invitamus.

Dab. d. XXIV m. Jan. MDCCCXXV.